

DE  
MATRIMONIIS  
INTER  
HÆRETICOS,  
AC INTER  
HÆRETICOS, ET CATHOLICOS  
INITIS

In Fœderatis Belgii Provinciis

*DISSERTATIONES*

THEOLOGICÆ, ET CANONICÆ

Rm̃i P. D. CAVALCHINI

ARCHIEPISCOPI PHILIPPENSIS,

*Et Sacræ Congregationis Concilii à Secretis,*

NEC NON

QUATUOR INSIGNIUM THEOLOGORUM.



ROMÆ MDCCXLI.

---

Typis, & sumptibus Hieronymi Mainardi.



IPREN. VISITATIONIS SACRORUM LI-

MINUM, Magnopere anxius Iprensis Anti-  
stes, quid consilii capiendum sibi foret erga  
nonnullos Hollandici Præsidi Militēs, qui  
nuptiis pridem coram Heterodoxo Ministro,  
sive Magistratu celebratis, hæresim postea  
ejurarunt; in accuratissimâ Status Ecclesiæ  
sua Relatione ad præscriptum celeberrimæ

Sess. 24. cap.  
unde Res. Mar-  
trim.

Constitutionis Sixtinæ incipientis *Romanus Pontifex* Sacro huic  
Senatui transmissâ molestas, quibus torquetur, dubitationes  
exposuit, flagitavitque ab Eminentissimis PP. declarari, vali-  
dane, an irrita censenda sint Matrimonia, quæ in Hollandia,  
aliisque confœderatis Provinciis coram Magistratu, vel Mi-  
nistro Acatholico iniri contingit.

Ut itaque solertissimo huic Episcopo in re adeo gravi maturum  
æquè, ac præsentium temporum circumstantiis accommoda-  
tum dari posset responsum, tum ipsius petitio, tum quæ ad  
materiam aliquatenus illustrandam conferre possent, descri-  
pta fuere in Folio, quod hodie iterum distribuitur signatum  
litera A., propositoque subinde Dubio = *An, & quomodo sit re-  
scribendum Episcopo in casu &c.* = sub diem 17. Maji 1737. prodiit  
responsum = *Ad mentem*, quæ in eo versata est, ut Episcopo  
rescriberetur, Conjuges de validitate Matrimonii non dubi-  
tantes in bona fide esse relinquendos, neque a Sacramentorum  
participatione arcendos fore, peculiare verò casus, & circum-  
stantias eorum, qui scrupulis super suorum Matrimoniorum  
validitate anguntur, oportere ab eodem Episcopo distinctim  
exponi. Cumque juxta hanc mentem literæ datæ fuerint, sta-  
tim sedulus ille Præsul multiplices recensuit casus tam in sua,  
quàm in finitimis, ut ait, Diœcesibus persæpe occurrentes,  
quos per extensum relatos videre est in altero adnexo Folio si-  
gnato lit. B.

Interea verò rogatus Eminentissimus Cardinalis ab Alsatia Ar-  
chiepiscopus Mechliniensis votum suum super postulationibus  
Iprensis Episcopi proferre doctissimam elucubravit Relatio-  
nem legendam sub lit. C., quâ distributâ unâ cum Adnota-  
tionibus Secretarii Sacræ hujus Congregationis hodie pariter  
datis sub lit. D., necnon pluribus Rescriptis, sive Resolutionibus  
eiusdem Sacri Consilii signatis lit. E., denuo sub diem 28.  
Februarii 1739. discussum fuit Dubium = *An, & quomodo sit re-  
scribendum Episcopo* =, iterumque Eminentissimi PP. responde-  
runt *Ad mentem*, quæ fuit, ut ex pluribus casibus per Epi-  
scopum Iprensē recensitis distincta Dubia, singulas, quæ in  
hac materia frequentius contingere possunt, quæstiones com-  
plectentia eruerentur, ac super eorum unoquoque quatuor  
scriberent Theologi, suamque sententiam dicerent.

Omniſibus igitur ad tramites istius postremæ jussionis morosè per-  
actis, quatuor insignium Theologorum Vota sapienter æquè, ac  
sedulò super duodecim Dubiis ad rem, quantum licuit, effor-  
matis perscripta nunc exhibentur signata lit. F. G. H. & I.  
\* Præ-





PREN VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Episcopus Iprensis, ut pastorali pro Grege sibi concredito sollicitudini faceret satis, in Relatione status Ecclesie ad hanc Sac. Congregationem transmissa juxta prescriptum notissimae Constitutionis Sixtinae incipientis = *Romanus Pontifex* = hac inter cetera exposuit = *Secundum, quo vexantur*

*Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.*

*Parochi, & Confessarii, & quorum anxietas Nobis ipsis anxietatem parit, concernit Matrimonia in Hollandia contracta coram Ministro, & Magistratu Acatbolico. Cum in hac Civitate Iprensi, & pluribus Adjacentibus sit Praesidium militare Hollandicum, ex istis Militibus multi talia Matrimonia in Hollandia contraxerunt vel cum Catholica, vel cum Acatbolica, sed quae jam in his Partibus existens haeresim ejuravit. Pars illa Catholica, vel Conversa petit, an suo Marito adhaerere possit; vel, etsi non petat, Pastor tamen, vel Confessarius sciens, sic esse junctam, dubitat, an beneficio absolutionis sit domanda, an ad Sacramenta alia admittenda etiam in periculo mortis, nisi promittat, in casum recuperatae a suo Marito recedere. Insuper, si Matrimonia illa dicantur invalida, exinde orietur evidens impedimentum conversionis Haeticorum, sic enim relinquendus Maritus, deserenda proles =, deindeque nomine ejusdem Episcopi porrectus fuit supplex libellus, in quo praefatae quaestioni altera quoque sapientissimo Eminentiarum VV. oraculo dissolvenda hisce verbis adjicitur = *La seconda difficulta riguarda i Matrimonj, che tra l' Eretico, e Cattolica, e tra due Eretici, l' un de quali poi si converte, si celebrano negli istessi Praesidj delle dd. Città di Barriera, nelle Parochie delle quali certamente fu pubblicato, e si osserva il Decreto Conciliare, si domanda perciò all' EE. VV. anche sà questo il di loro savio parere, ed il modo, con cui deve portarsi l' Oratore, ed i Parochi, e Confessori della Diocesi, particolarmente allor che il Coniuge Cattolico, o Convertito cerca, se possa, o no perseverare nel suo Matrimonio.**

Ut sedulo statuatur, quid pralaudato Antistiti super expositis dubitationibus Sacrum hunc Senatum consulenti rescribere oporteat, praemittendum in facto est, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, aliasque Confederatas Provincias tam legitimo Territorii Principi, quam S. R. E. rebelles evasisse à Catholica deficientes Religione, postquam Decretum Sacri Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.* in singulis earumdem Provinciarum Parociis fuerat jussu Philippi II. Hispaniarum Regis jam promulgatum, uti testantur *Bruno Neusser disp. 182. quaest. 2. num. 4. de Verbois art. 1. Reiffenstuel. in jus con. lib. 4. tit. 3. §. 3. num. 137. in fin. Busemb. in medull. Theol. Moral. lib. 6. tract. 6. cap. 3. dub. 2. la Croix Theolog. Moral. lib. 6. part. 3. de*